

1451 post hostis Calvisano potitus est, ad quod ipsum venerat, ut ibi castris communitis, in hostico hybernaret. Leonesius ad Goidum castra transtulit. Hæc per æstatem in Gallia gesta sunt.

Circa medium autumni, quum Veneti duces per exploratores cognovissent, vim commeatus ingentem in hostium castra deferri, ac mille equites præsidio adesse, Jacobus Picininus, Carolus Gonzaga, & Tybertus Brandolinus cum parte copiarum inter Otholengum & Insulellam, Brixiensis agri oppida, hostibus occurrunt. Hiç quasi ex insidiis cohorti Sforcianum equitem primo congressu fundunt, fusoque ac fugato plurimos currus commeatu, sagis militaribus, aliisque utensilibus onustos intercipiunt. Et jam opulentam prædam in castra agebant, quum Sforcia ea clade excitus, eos abeuntes ferociter invadit. Conversus repente Venetus a præda ad prælium, violentissimam hostis impressionem fortiter sustinet. Atrocissimo itaque prælio injecto, Hector Brandolinus, Tyberti frater, vir impigerimus, dum in prima acie dimicat, ferro occubuit. Ingens trepidatio circa illum cadentem facta est. Et quanquam jam dudum Venetus hostem impigre sustineret, cessisset tandem, nisi Leonesius cum reliquis copiis affuisset. Sub ejus adventum non solum instaurata est pugna, sed æquato marte, totis viribus aliquando utrinque dubio eventu dimicatum est: demum superante Venetorum multitudine, coactus est Sforcia, relicta hostibus præda, in proximam Otholengici agri paludem cum suis se recipere. Constitit tamen illi integra acies: Veneti curribus potiti in castra concessere. Et jam appetebat brumæ tempus, quum hostis, impedimentis præmissis, in hyberna concessit. Verum priusquam sit inde discessum, ferunt Sforciam, dum adhuc Calvisani esset, Venetos duces ad pugnam provocasse. Erant illi tum Goidi: qui acie dimicaturi cum viginti millibus hominum, quæ in castris habebant, in æquum descendere. Verum cestante hoste, ajunt Venetam aciem aliquanto propius a Leonesio admotam: atque ita sane evenisse, ut ne provocatus quidem

*Veneti in-  
ter Otho-  
lengum &  
Insulellam  
feliciter in  
Sforcianos  
dimicant.*